ARANEAE EXOTICAE,

quas collegit, pro Museo Lugdunensi,

J. R. H. NEERVOORT VAN DE POLL,

INSULIS CURAÇAO, BONAIRE ET ARUBÂ [1]),

et quas determinavit

Dr. A. W. M. VAN HASSELT.

DYSDEROÏDAE.

1. **Nops glauca** n. sp. ♀.

Bonaire.

Sub lapide.

N.B. De pretiosissimâ hac capturâ araneae binoculatae confer *Tijdschrift voor Entomologie*, XXX, p. 67 et 77.

ZODARIOÏDAE Th.

s. ENYOÏDAE E.S.

2. **Storena (Habronestes) spirafer(a)** L.K. ♂.

Perrara.

Anne varietas?.

Longitudo totalis . . . . . 11 mm.

» cephalothoracis 6,5 »

» abdominis . . . 4,5 »

De hacce pulchrâ *Storenâ*, — cum «spirâ» palporum fusco-rubrâ, nitidâ, permagnâ et forti, ad clavae latus internum ac externum bis convolutâ, — confer L. Koch, *Die Arachniden Australiëns*, 7te Lieferung, S. 318 et Tab. XXV, fig. 7 [2]).

---

1) Harum una, nº. 9, non est insularis, sed in Paramaribo capta.

2) Ibi quoque de unico exemplare agitur, nostro minore, scil. long. tot. 7 mm.

Palpi structura singularis, oculatio in tribus seriebus (2.4.2), mamillae (inferiores multo longiores), color (pro cephalothorace cum pedibus e flavo laete fuscus, pro abdomine e nigro fuscescens) et omnia quae ad formam pertinent, cum Kochii relatione sat conveniunt.

Magis variant:

Cephalothorax. In nostro exemplari abdomine adhuc longior quam in illo Kochii.

Sternum. Hoc nec distincte «pilosum», nec «grob», ast magis «sehr fein granulirt». Etiam minus «cordiforme», quam quidem valde oblongo-ovatum.

Mandibulae. Observare non potui, quod essent «der Quere nach fein gerunzelt».

Maxillae. Sunt antice non «sehr», sed parum «verschmälert». Hac occasione de novo mihi in hocce ac sequente exemplari constare licuit praesentiam analogam barbae nigerrimae, quam pro *Storenâ melanognathâ* notavi [1]).

Pedes. Non tam «kurz behaart», uti Koch de suâ perhibet. Miror, quod nihil scripsit de aculeis multis, longis et fortibus, quasi spinosis, quibus paria III et IV, in femoribus minus numerosis, instructa sunt. In Tabulâ vero hos plus minusve figuravit. Pedum (4, 1, 2, 3), — multo longiorum et crassiorum quam in specie sequenti, — longitudo pro pare I et IV non multum differt. Paria I et II in toto ceteris fortiora sunt et tibiae I cum patellis incrassatae. Femora non sunt «etwas dunkler gefarbt», uti in exemplare Kochii.

Quoad picturam abdominis insuper notandum, quod haec minus accurate cum hac *spiraferae* congruit, cui tamen analoga videtur, ut et huic, quam pro sequente speciei descripsi. In ventre non adsunt «der schwarze Querfleck» nec «runde weisse Fleckchen» et non «drei» sed modo duo «Längsstreife», quae parum expressae.

Cephalothorax non est «ganz glanzlos», e contra, in luce variabili, aliquomodo metallice micat.

---

1) Confer pag. 35 *Catalogi* mei de nonnullis Araneis ex *Midden-Sumatra*, in „*Reizen en onderzoekingen der Sumatra-expeditie, uitgerust door het Aardrijkskundig Genootschap in* 1877". Leiden, bij Brill, 1881.

Sternum non tote «röthlich braun», sed cum margine nigro infuscato.

Curaçao (Savonet).

Sub lapide.

3. **Storena (Habronestes) Pollii** [1]) E.S. n. sp. ♀.

Longitudo totalis . . . . . 10,2 mm.
» cephalothoracis 4,5 »
» abdominis. . . 5,7 »

Cephalothorax sat elongatus, sed longitudine multo minor quam in specie antecedente, valde convexus, fusco-piceus, versus marginem posticum leviter dilutior, nitidus, laevis, antice paucis setis nigris munitus.

Oculi in lineas tres ordinati; linea prima constat ex oculis duobus, transversim late remotis; linea secunda, paene recta, et primâ paulo latior, ex oculis quatuor, quorum mediis inter se subcontiguis et lateralibus paulo majoribus; linea tertia, s. postica, ex oculis duobus non contiguis sed sat proximis, a mediis secundae lineae plus quam pro eorum diametro remotis, omnibus reliquis minoribus ac magis applanatis.

Clypeus verticalis, fere planus, areà oculorum (hac magnâ et aliquantulum latiore quam longiore) parum angustior.

Mandibulae robustae, fusco-rufulae, conicae, subnitidae, antice crebre nigro hirsutae, unguibus ordinariis, parum validis.

Maxillae conicae, truncatae, fulvae, pilosae, etsi semilunares, labium (semiovatum, longius quam latius) antice fere ast non tote includunt. Ad apicem transversim nigerrime «barbatae» [2]), perfecte uti in *Storenâ melanognathâ* mihi [3]).

Palpi sat longi, pedum coloris, sed apicem versus infuscati et ibi nigro-hirsuti.

1) Vir cel. Simon, qui mihi in sequente diagnosi auxilium suum benevolentissime praebere voluit, sic nominavit, in honorem captoris Neervoort van de Poll.

2) Quamvis haecce „barba" in nostro exemplari maturo, ut videtur abrasione deperdita sit, in altero hujus speciei specimine feminae junioris, quod dein in collectione inveni, valde distincte provenit.

3) Confer *Catalogum* meum de Midden-Sumatra, supra jam citatum.

Sternum oblongo-ovatum, laeve et nitidum, in medio fulvo-rufescens, ad marginem nigro-fuscescens.

Pedes (4, 1, 2, 3), quorum par II et III fere aequale, parum longi et modice robusti (hac ratione valde diversi a specie praecedente), fulvo-rufescentes, subnitidi, parce pilosi. Tibia I, ut in *spiraferâ*, reliquis robustior. Pedes postici (III et IV) numerose et fortiter, quasi spinoso-, longe aculeati. Metatarsi quoque, excepto pare I, imprimis versus apicem, solito longius aculeati [1]). Ungues tarsales longi et ut mihi videtur bini.

Abdomen oblongo-ovatum, e fusco nigricanti lividum; supra, prope basin, 2 maculis irregularibus, dein zonis 4, quarum 2 dorsales longitudinales rectae et (utrinque) 2 laterales obliquae, ac in lineà dorsi medianâ 5 maculis triquetris, uniseriatis, ornatum; omnis haec pictura fulvo-testacea; infra omnino fulvo-testaceum, exceptà maculâ parvâ nigricante utrinque prope mamillarum basin [2]).

Area genitalis magna, semicircularis, rufa, plagulà medià triangulari testaceà, antice acutissime productà, postice utrinque, ad angulum, sinuoso-emarginatà.

Mamillae inferiores, comparatione cum reliquis, perlongae, valde graciles et fulvae.

Bonaire (Fontein).

Sub lapidibus.

NB. Simon hancce *Storenam* mihi affinem dicit cum *Storenâ* (*Habronestes*) *spiraferâ* et *S.* (*Habronestes*) *Graeffei* L. Koch. Ab hisce inter alia differre statuit, praesertim picturâ abdominis et

1) Quoad aculeos Simon sequentia (quae eheu! oculi mei non satis certe discernere valent) adhuc notavit. Tibia I infra in parte secundâ aculeis interioribus binis. Tibia II aculeo inferiore unico. Metatarsus I infra aculeis parvis 2—2. Metatarsus II aculeis longioribus 2—1 atque aculeis apicalibus trinis.

2) Pro secundo nostro dicto exemplari juniore, in toto coloris laetioris aut vividioris, pictura haec dorsalis accuratius sese ostendit. Ex eo adhuc patet, zonas longitudinales constare e serie macularum inregularium, arcte secum connectarum, — zonas aut fascias laterales obliquas seu curvas de longitudinalibus convergere versus ventrem et mamillas, — et seriem macularum mediarum non solum hic illic inter se, sed quoque cum zonis longitudinalibus, striis parum conspicuis, cohaerere.

oculis mediis secundae seriei aut lineae lateralibus evidenter majoribus. — Adhuc de illâ mihi scripsit: «cette espèce est très intéressante, car la famille des Enyoides a très peu de représentants en Amérique».

PHOLCOÏDAE.

Ex eâ Familiâ itidem duo valde rara specimina, ut ita dicam «micro-Pholcorum», in hac collectione inveni. Hucusque nesciebam, hoc in genere tam exiguas species provenire.

4. **Pholcus globosus** Tacz. ♀ (= *gibbosus* Keys.).

Exemplar minus bene conservatum, pedibus mutilatis et dorso abdominis postice vulnerato.

Longitudo totalis 4,5 mm.

Cephalothorace luteo, in medio thoracis fusce spinoso; abdomine griseo, parce nigro maculato, hujus apice obtuse tuberculiformi (aut si vis globoso vel gibboso); vulvâ permagnâ et mamillis [1] *brevibus, huic valde proximis, inferis.*

Primo intuitu, ob magnam affinitatem et figuram brunneam triquetram pone oculos, habui pro *Ph. v-notato* Thorellii (*Studi* etc. II, p. 163), sed, inter plura, signa maxime characteristica nostrae speciei in eo absunt.

Taczanowsky hunc *Pholcum* prius breviter notavisse mihi videtur, sine figuris, anno 1873 (confer *Horae Rossicae*, T. X, p. 105), dein Keyserling, sub nomine *Ph. gibbosus* n. sp., illam multo accuratius descripsit et partim depinxit, anno 1877 (confer *Verhandl. d. K. K. zool. bot. Gesellsch. in Wien*, Band XXVII, S. 208).

In illorum, — quoque in Americâ meridionali (Cayenne et St. Fé de Bogota) obvenientibus, — speciebus, ambo simul detexerunt spinulam thoracicam singularem. Haec distincte in nostro specimine observatur. Taczanowsky de eâ scripsit: «Le corselet est comme à l'ordinaire, l'impression médiane est profonde, suivie en arrière d'un tubercule presque conique, bien distinct.» Keyserling: «Am

---

1) Mamillarum hanc positionem, huic *Cyclosae conicae* Pls. similarem, descripsit Taczanowsky, et figuravit absque descriptione Keyserling.

Ende der Mittelgrube erhebt sich ein, von der Seite betrachtet, konisch geformt erscheinender Höcker, der an der Vorderseite einen tiefen Einschnitt besitzt » (hoc mihi minus clare elicuit) « und etwas höher emporragt als der Kopftheil ».

Porro pro hocce *Pholco* quoque valde notabile est ejus, in comparatione cum toto animalculo, enorme genitale. Taczanowsky de illo nil aliud dicit, quam quod sit « d'un brun marron » (sic). Rectius Keyserling dein pro eo notavit: « Deren vordere Ecke ist verlängert in einen kurzen, hakenförmigen, nach unten gekrümmten flachen Fortsatz, der mit zwei kleine Spitzen endet ». Quoad ceteram hujus organi formam, Keyserlingii descriptio (« Eine stark gewölbte herzförmige Platte ») haec minus bene congruit cum eâ in nostro exemplari, sic describendâ: vulva vel epigyne partim nigro-fusca, permagna, cornea, valde elevata, sed parum longior quam latior, antice parvo processu plano et leviter bifurco instructa, ad latera utrinque subarcuata, ad speciem ferri equini, arcubus postice paulo introrsum flexis.

Adhuc pro hacce araneolâ notanda videtur positio duarum trachearum transversarum fuscarum (an « Fächer-Tracheën » Btk.?), in medio intra vulvam et mamillas, hisce proxima.

Ceteroquin oculatio, conformatio, pilositas, pictura etc., — quantum observari in nostro specimine licuit, — mutatis mutandis, sat conveniunt cum auctorum citatorum enunciatione.

Curaçao (Willemstad).

Sine ulteriore indicatione.

5. **Pholcus pullulus** Hentz (Thor.) ♀ junior.

(sub *Theridion* Hentz).

Longitudo totalis $2\frac{1}{2}$ mm.

In toto haecce *Pholci* species minima, propter abdominis conformationem, revera aliquam similitudinem cum *Theridiis*, primo visu, prae se fert, eo magis quia pedes (saltem in nostris feminis junioribus) minus tenues, ac imprimis multo minus elongati sunt quam in genere hocce solent; — confer pro eâ *Descriptions o. t. Araneae coll. in Colorado* by Packard, by

Thorell, in *Bullet. o. t. United States Geol. a. Geogr. Survey*, Vol. III, nº. 2, 1877, p. 487.

Thorellii, ut solet, accuratissima descriptio, pro formâ et picturâ, cum nostris exemplaribus, — quorum duo solummodo conservare potui, ceteris nimis mutilatis, — multo magis quadrat quam Hentzii brevis diagnosis et figura, licet hic oculationem, in genere *Pholcis* propriam, recte depinxisse mihi videatur.

Cephalothoracis autem «vitta furcata» in nostris speciminibus non valde evidens. — Itidem variant «maculae abdominales nigrae», in nostris multo numerosiores quam «4» (Hentz) et non tam magnae («large») quam in mare Thorellii. — Pedum annulatio, Hentzio notata, in Thorellii exemplare unico, ut et in nostris, minime provenit. — Pro hisce valde dolendum, vulvam nondum sat evolutam fuisse, ut describi posset. In uno modo specimine rima transversa, ovata, cum margine corneâ leviter infuscatâ, et adhuc aegre, distinguitur. — Tarsi III paris «segmentationem», Thorellio in suo mare maturo detectam, quoque constare in feminis mihi non successit, metuenti, teneras hasce araneolas, — jam sat emollitas, — manipulatione nimis noceri.

Curaçao (Willemstad).

Sub lapidibus magnis et subtus excavatis.

N.B. Hocce domicilium pro *Pholcis* mihi hucusque non aliter cognitum fuit, quam pro *Ph. opilionoïde* Schrank. Confer Thorell (*On Synonyms*, p. 150), Simon (*Arachnides de France*, T. I, p. 260), ac Bertkau (*Versuch*, u. s. w. S. 399). Cambridge, pro *Pholcis* in genere, perhibet: «Occasionally under and among large stones» (*Spiders of Dorset*, p. 76).

THERIDIOÏDAE.

6. **Lathrodectus curaçaviensis** Müll. ♀, ♂ et cocon.

Mas unicus, valde rarus. Feminae in exemplaribus numerosissimis, in omnibus picturae et aetatis varietatibus, incluso, ut credo, *L. erebus* (fere tote niger) Duf. et Sav.

De hac araneâ, cujus venenum indigenis sine dubio nimis timetur, confer mea «*Studiën over de z. g. Curaçaosche oranje-spin*», in *Tijdschrift*

voor Entomologie, deel III, 1860, blz. 46. Posthac plura et meliora, inter alios, de eâ scripsit Thorell in *Oefversigt af kongl. Vetenskaps-Akademiens Förhandlingar*, 1870, n°. 4, p. 372, et in *Proceedings o. t. Zool. Soc. o. London*, 1875, March, p. 141, ubi ♂ ad. descripsit.

Curaçao (Willemstad, St. Jan), Bonaire (Fontein).

7. **Lathrodectus geometricus** C.K. ♀.

Femina unica adulta, magnitudine ac structurâ cognitis, multopere cum specie praecedente conveniens. Confer C. Koch, *Die Arachniden*, Bd. VIII, S. 117, Fig. 684, et T. Thorell, *On some Spiders of New Caledonia* etc. in *Proceed. o. t. Zool. Soc. o. London*, March 2, 1875, p. 138 (varietas β). Simon quoque hunc ex multis aliis terrae locis accepit deque illo scripsit: « Espèce remarquable par la vaste étendue de son habitat » (*Arachnides de Khartoum* etc., in *Extrait du Bull. de la Soc. Zool. de France*, T. IX, 1884, p. 21).

Dorsi abdominis pictura pulchre expressa et quidem adhuc distinctior quam in figurâ citatâ, imprimis quod attinet ad maculas medianas nigras, albo-zonatas, quae similares videntur cum his in C. Kochii *Metá* (*Lathrodecto*) *Schuchii* ex Graeciâ (Fig. 167).

Ventris, in medio albescentis, signa hujus auctoris (« zwei Längsflecken bräunlich ») in nostro exemplari desiderantur; supra, duabus maculis rotundatis fuscis excipiuntur. Infra, tales itidem 6 observantur minores circum basin mamillarum (hae non totae « rostgelb », sed basi fuscescentes).

Epigyne, de qua auctor tacet, simplex, aliquantulum elevata, in medio rimâ transversâ superficiali corneâ infuscatâ instructa.

Curaçao.

Absque domicilii indicatione.

8. **Lithyphantes septemmaculatus** Keys. ♀.

Longitudo totalis 3 mm.

Pulchra haec araneola, primo intuitu, nostrae *Steatodae guttatae* Wid. subsimilaris, ex omni parte, respondet èt descriptioni èt figuris Keyserlingii. Confer ejus opus praeclarum: *Die Spinnen Amerika's*, Theridiidae, 1. Hälfte, II. Bd., S. 141, Tab. VI.

N.B. Proprie dictu « septem » maculae in nostris duobus exemplaribus ad novem duci possent. Macula enim Keyserlingii septima, supra-analis, mediana, de quâ dicit « oft in der Mitte getheilt », nobis in tribus maculis minoribus dividitur.

Curaçao.

Sub lapidibus.

EPEIROÏDAE.

9. Gasteracantha Raimondii Tacz. ♀.

(An = *Epeira cancer* Hentz?) [1]).

Longitudo totalis 8 mm.

» abdominis cum spinis 6,5 mm.

Latitudo » » » 13 »

Evidenter ad *Isacantha* Sim. pertinet.

Licet picturae obscurioris, magis picei, et pro hac imprimis minus cum *G. rubiginosa* C.K. (quâcum auctore e longinquo comparatur) conveniens, pro aliis supra notatae speciei characteribus satis similaris videtur. Confer *Horae Rossicae. Les Aranéides du Pérou central*, par Taczanowsky, T. XV, 1879, p. 106, Tab. I, fig. 25.

Quia haec in magnâ altitudine vitam degit et nostrum exemplar in plano, ad littora maris et fluminis, tantillum in dubio versor.

Ceteroquin èt descriptio èt figura (25 magis quam 26) conveniunt.

Ita stigmata ad spinarum basin lateralium in magnas maculas irregulares nigras confluunt; — tam antice quam postice, ut et in dorso, multis aliis haec *Gasteracantha* est convexior; — spinae anteriores distincte ceteris minores; — venter numerose et evidenter exigue nigro-granulosus; — sternum cum maculâ medianâ rubroflavâ (illâ vero parvâ, non « grosse » Tacz.).

Suriname (Paramaribo).

Sine domicilii indicatione.

---

1) Hujus vero diagnosis „Black; disc of the abdomen yellowish with black dots, circumference with black spines" (*Spiders o. t. United States*, p. 126; plate XIV, fig. 13), quidem convenit, sed nimis brevis, ut sat confideri possit.

10. **Argiope argentata** Fabr. (C.K., Wlk.) ♀ et « cocon ».

Valde affinis cum *Argiope Maronico* Tacz. (Confer *Horae Rossicae*, T. IX, p. 261 et T. XV, p. 102).

Exemplar unicum, bene conservatum et perpulchre pictum.

Haec species ceteroquin in Americâ meridionali, mare excepto [1]), secundum Holmbergii effatum, « vulgarissima ».

Non raro non solum in Americâ, sed in aliis regionibus tropicis, variare videtur, uti Taczanowsky pro speciminibus ex Peru observavit. Ejus quoque « *Maronicus* » forsan ad varietates duci potest.

Pro hac specie differentias principales assumsit: 1⁰. in abdominis tuberculis lateralibus, non rotundatis sed conicis, apice acuto. Idem in nostro exemplari non pro omnibus hisce, sed evidenter pro duobus anticis valet. 2⁰. in dorsum magis applanatum et sine vestigio parvi tuberculi mediani. Id ita etiam nobis provenit.

Porro pro nostro quoque adest in ventre «un chevron assez aigu» (haec vero non « mince » ni « jaune », sed sat lata et alba); — itidem in medio sterni « une grande figure jaune, en forme de croix [2]).

Bertkau, ut et mihi videtur, recte animadvertit, *argentatum* C. Kochii non similem esse hujus *fenestrino*. Epigyne, Bertkauo pro *argentatâ* figurata, perfecte cum hujus organi conformatione in nostrâ *Argyope* convenit. E contra in hacce minime constare potui « den scharfen Kiel auf der Unterseite an das Hüftglied des ersten Beinpaares » [3]).

A. flavipalpis Luc. et *A. Pechuelii* Karsch [4]), ambae ex Africâ, etiam nostrae araneae, pro magnâ parte, valde affines puto. Harum pictura ventralis tamen multopere variat. Sed ita quoque variant in nonnullis harum « specierum », ut in nostrâ, palpi, nunc toti flavi, uti in nostro, tunc nigro-annulati, ut in *Maronico*.

1) E. L. Holmberg, in *Expedicion al Rio Negro*, Zoologia, Buenos Ayres, 1881, p. 121, affirmat, se inter mille exemplaria nunquam marem (quem adhuc indescriptum credit) invenisse.

2) Haec sterni figura eodem modo L. Kochio depingitur pro suâ *A. amoenâ*, ex Japan (*Verhandl. d. K. K. zool. bot. Gesellsch in Wien*, Bd. XXVII, 1878, S. 736).

3) Confer ejus *Verzeichniss der Arachniden aus Brasiliën* u. s. w. Brussel, Hayez, 1880, S. 93.

4) Giebel's *Zeitschrift* u. s. w., 1879, Bd. IV, S. 340.

Aruba (Oranjestad) et Bonaire [1]).

Ad *Cactum Opuntiae.*

N.B. Saccus ovulorum plano-globosus coloris est laete viridescentis.

11. **Epeira trivittata** Keys. ♀.

Longitudo totalis 10 mm.

Exemplar unicum.

Confer Eugen Keyserling. *Beschreibung neuer Arten der Fam. Orbitelae*, S. 95 (33), fig. 6.

Palpi non tote flavescunt, articulis terminalibus nigricantibus.

Cephalothoracis vitta tertia (mediana) parum expressa.

Abdominis indumentum, antice, variat ad modum ejus *E. triangulae*, ibi, nempe, sparsim, «bekleidet mit zahlreichen aus dunklen Fleckchen entspringende Härchen».

Epigynes conformatio, cum processu styliformi typico, et ventris maculatio in nostro specimine sat his in *trivittatâ* similes.

Curaçao (Willemstad).

Ad arbustum.

12. **Epeira pallidula** Keys. ♀ (?).

Longitudo totalis fere 8 mm.

Exemplar unicum (albino).

Confer «*Beschreibung*» pro n°. 11 citatum, S. 125 (42), fig. 14.

Huic Keyserlingii major. Anne alia species?

Capite enim, ut et mandibulis, fortissime convexis ac valde latis; de horum nitore atque colore profunde fusco auctor tacet. De hisce quidem mentio fit pro praecedente Keyserlingii aliâ, certe affini, specie, nempe suâ *E. dubiâ* (S. 123, 40) [2]). Hujus e contra abdominis pictura atque epigynes structura valde diversae ab eis in *pallidulâ* et in nostro exemplari. Epigyne, in hisce est sine scapo seu stylo ordinario. Proprie dictu medium

1) Ibi quidem vidit van de Poll, sed occasionem capiendi non habuit.

2) De hacce scripsit: „Der hintere Theil des Cephalothorax ist gelb, der vordere dagegen dunkelbraun gefärbt", ut in nostrâ observatur, cum eadem figurâ triangulari, et uti pro *dubiâ* pingitur (Tab. IV, 12).

tenet inter ambas *Epeiras* hic citatas, cephalothorace magis similari huic *dubiae*, abdomine magis huic *pallidulae*.

Curaçao (Willemstad).

Absque ulteriore indicatione.

13. **Nephila clavipes** Walck. (non C.K.) ♀ et ♂.

Verosimiliter = *cornuta* Pall., = *fasciculata* de Geer (Bertkau) [1]), et ut credo, = *clavipes* Tacz. (perverse sub « Koch » [2]).

Longitudo ♀ 25 mm.

» ♂ 4 »

Femina. Cephalothorace bituberculato, tuberculis magnis nigris (inde « *cornuta* » dicta); sterno triangulari. Abdomine e flavo lutescente, albido (subargenteo?) maculato, imprimis in lateribus.

Quoad colorem van de Poll notavit: « hunc, in vivo, pulchre viridescere ». Et aliis auctoribus « oliven-farbig » dicitur.

Pedum (ruforum, ad extremitates infuscatorum), quantopere adsunt, paris IV tibiis fortiter nigro-fimbriatis (inde « *fasciculata* » dicta).

Epigyne simplex, in lato tuberculo posita, maculâ transverse ovatâ, nigro-fuscâ, cum duobus orificiis rotundatis nigris, indicatur.

Mas. Cephalothorace et abdomine (magis ovato quam cylindrico) e fusco flavescentibus; illius lateribus, triquetrim, e nigro-fusco late zonatis, hujus dorso, in medio, trabeculâ longitudinali e nigro-fuscâ notato.

Palpi stylo ordinario minus elongato et ad apicem magis incurvato quam in *N. maculatâ* Fabr.

Curaçao (Willemstad).

♀ et ♂ iisdem locis, sed non secum.

Ad « Mangrovam » (?).

N.B. Nec Hentz nec Keyserling, tamquam scio, de *Nephilis* Americanis scripserunt. Walckenaer vero nostram speciem communem et propriam dicit: « au continent des deux Amériques et dans l'Archipel Américain » (*Hist. natur. des Aranéides*, 1806: Explication des Planches).

Hujus speciei Indiae occidentalis, tam color et pictura

1) *Verzeichniss Arachniden Brasiliëns*, S. 86.

2) *Horae* etc. T. IX, p. 147.

quam longitudo, multopere, pro locis et praesertim pro aetate, variare videntur, uti, magis adhuc, pro ejus congenere orientali (*N. maculata* Fabr.) constat.

Inde verosimiliter cognominum supra dictorum aliorumque confusio apud auctores.

HETEROPODOÏDAE.

14. **Selenops (Hypoplatea) celer** Mac Leay ♀, junior [1]).

Ei valde affinis mihi videtur Keyserlingii *Selenops nigromaculatus*, e Mexico [2]).

Longitudo 5 mm.

Griseus, nigro pictus, et uti Mac-Leay rectissime animadvertit, habitu *Artamo* C. Koch simillimus.

«Six ocelli in an arch convex outwards and two others (which are the least of all) in front, at each corner of the head» (M.L.) [3]) (sic).

Oculis vero imprimis quatuor maximis, maculâ nigrâ circumdatis, uti in *nigro-maculato* Keys. Ceteroquin horum magnitudo relativa ab amborum auctorum descriptionibus et Mac-Leayi figurâ paullulum differt in exemplari nostro.

In hocce duo oculi anteriores, ad latus cephalothoracis, equidem minutissimi, sed oculorum 6 posteriorum duobus externis, in declivitate externâ cephalothoracis positis, non tantopere ovatis, uti Mac-Leay pinxit.

Hujus quoque seriei (posterioris) duobus medianis ceteris minime aequalibus, sed sat multo minoribus.

Cephalothoracis margine (apud Mac-Leay griseo), uti in *nigro-maculato* Keys., nobis nigricante.

Sternum postice non tantopere excavatum quam in *celeri*.

Mandibulae, prope ungues, bidentatae (M.L.).

---

1) *Annals of Natural History*, Vol. II, London, 1839, p. 6 (In Cubâ communis).

2) *Die Spinnen Amerika's*, Laterigradae, 1880, S. 230. *Celer* illi solummodo ex Mac-Leayi descriptione cognitus.

3) Oculatio haecce non sine quâdam homologiâ cum illâ in *Perissoblemmâ thomisiformi* Cambr. (*Proceed. Zool. Soc. o. London*, Oct. 1881).

Maxillae parum vel non incurvatae ad labium (« straight » M.L.).

Abdominis apice non tam « nigro » ac « emarginato » (M.L.), quam in *celere* adulto.

Pedum paris tertio ceteris aliquantulum longiore, tam in *celeri* quam in *nigro-maculato*. Horum fasciatio (annulis incompletis) nigra nec cum descriptionibus specierum dictarum, nec cum Mac-Leayi figurâ tote conveniens. In specimine nostro ad tibias ceteris distinctior.

Mamillae (de quibus auctores nostri tacent) luteae, nigro-maculatae, modice magnae. Duae superiores cylindraceae, longiores, rectae, multum a sese remotae. Inferiores duae conicae, crassiores, proximae et convergentes. Mediae parvissimae, parum conspicuae.

Bonaire (Fontein).

Sub lapide [1]).

15. **Heteropodae** ♀ junior, mihi indeterminabilis.

Longitudo 19 mm.

Nescio, quid de eâ faciam. *Laterigradae* in *Spinnen Amerika's* von Graf E. Keyserling hanc speciem mihi non continere videntur (Resp. oculationem).

Diversa a *H. venatoriâ* L. clypei colore obscure fusco, absque vittâ flavâ-aurantiacâ.

Mandibulis, ad longitudinem, nigro- tristriatis.

Mamillis, ad latus, nigro-lineatis.

Abdomine solito magis ovato.

Oculis quatuor lateralibus ceteris majoribus, medianis seriei anticae omnium minimis!

Pedum paribus I, II, IV parum longitudine diversis, femoribus nigro-lineatis et maculatis.

Pictura et colore aliquomodo conveniens cum *Sarotes procerus* L.K. (*Arachniden Australiëns*, 14te Lieferung), itidem, sed respectu alio, cum *Heteropoda meticulosa* E.S. (*Révision des Sparassidae*,

---

1) In Cuba vero haec aranea „is darting, in the rainy season, with extreme velocity, over the plastered floors" (M. L.); „elle court les plafonds en temps de pluie" (Ramon de la Sagra).

p. 58); quoque dubitavi, de *Heteropoda bivittata* Th. (*Studi s. Ragni Malesi*, I, p. 145).

Curaçao (Willemstad).

16. **Misumena crocea** Keys. ♀ jun. et pullus(?).

Longitudo 6 mm.

Ambae nondum adultae, epigyne deficiente, ut et in dictâ Keyserlingii specie, quâcum color, oculatio, pedumque longitudo sat conveniunt.

Vittae longitudinales thoracicae magis distinctae sunt quam abdominales, tamen in pullo provenientes.

Cephalothorace setulis anticis nigris; harum major incurva utrinque ad oculorum posticorum latus.

Abdomen praeterea scatet parvis maculis cretaceis, pro dictâ specie non notatis. Anne alcohole productae?

Habitu totali (non colore et picturâ nec longitudine) quodammodo *M. tricuspidatae* Fabr. nostrae similis.

Curaçao (Kato).

Absque domicilii indicatione.

LYCOSOÏDAE.

17. **Ctenus hybernalis** Hentz, ♀ junior.

Longitudo 8 mm.

Oculis duobus anticis (prima Hentzii series) valde pronis. Cum ceteris nigricant, lateralibus secundae (mediae) Hentzii seriei, magis albescentibus seu translucidis et planioribus. Haec series est valde procurva.

Pictura cephalothoracis omnino, haec abdominis satis cum Hentzii figurâ quadrat; haec ventris (in nostro specimine tote lutei) abest; itidem pedum extremitates tibio-tarsales non nigricant.

Epigyne nondum evoluta.

Sin species diversa, ratione habitâ totius formae ac picturae Lycosinae, *C. lycosoïdes* sub nomine indicari potest. Primo adspectu pro *Lycosae* specie habui, sed tarsi modo bi-unguiculati.

Curaçao (Kato).

Domicilio non notato.

ATTOÏDAE.

18. **Attus taeniola** Hentz. ♀ [1]).

Longitudo 5,5 mm.

Cephalothorace planissimo, uti in nonnullis *Maeviae* ac *Marpessae* speciebus. Oculis lateralibus anticis relative parvis, posticis paulisper minoribus; medianis minimis, fere in horum medio et in eàdem lineâ positis.

Pare pedum IV ceteris multum longiore; omnium femoribus incrassatis ac infuscatis, imprimis in pare I.

Pulchrum nostrum specimen sat quadrat cum brevi descriptione et meliore figurâ. Color vero palporum pedumque, ut et areae dorsalis inter «taenias» albas, indicium «black», pro tota araneâ datum, minime respondent, illis rufis et hac obscure fuscâ. Quoque tarsi, — quidem ungues, — non nigricant. Insuper variat maculis parvis albis in cephalothorace, pone oculos posticos, obviis, Hentzio non indicatis.

Epigyne ex duabus rimis transversis, corneis, rubris constat.

Mamillae luteae, breviores, sat crassae, contiguae.

Bonaire (Fontein).

19. **Euophrys leucophaea** C.K. ♂ var. (?).

Longitudo 4 mm.

Dubitavi an referri deberet ad « *Attum capitatum* » Hentz, et magis adhuc ad ejus « *Attus militaris* », propter hujus dentem magnam ad basin mandibularum, et propter amborum pedum paris I longitudinem ceteris multo majorem [2]).

In *leucophaeá* Kochii, ex « Pennsylvanien », frons magis albescit. An hujus pubes alba in nostrâ abrasa? Ad clypeum et mandibularum basin haec distincte provenit. Stria nigricans in medio folii dorsalis, pro typo indicata, in nostro specimine desideratur.

Curaçao (Kato).

---

1) In ejus Indice „*taenifolia*" scribitur. — Haec, nec sequentes, in numerosis Attidum Guianensium speciebus, quas descripsit Taczanowsky, obvenire videntur.

2) Exceptis, inter alia, „le large trait blanc tout le long du dessus de la tête et les deux grandes taches de la même couleur derrière les yeux de la dernière paire", *Attus Guianensis* Taczanowsky (*Horae*, T. VIII, p. 61) specimini nostro plus minusve affinis videtur.

N.B. Pictura dorsi abdominis hujus araneae, albo-limbata vel zonata, quoad formam plus minusve analoga, in diversis aliis Attoidarum speciebus conspicitur, e. g. in *Cocalo albo-limbato* Thor., in *Viciriâ albo-limbatâ* E. Sim., in *Walâ albo-vittatâ* Keys., in *Hasario albo-cincto* L. Koch, in *Maeviâ albo-zonatâ* mihi (e Sumatra), in duobus *Attis*, supra citatis, Hentzii, et forsan aliis. Inde harum diagnosis differentialis non facilis.

20. **Attus Bonairensis** n. sp. ♂.

Longitudo fere 4 mm. (cephalothorace abdomine longiori).

Cephalothorax semiovatus, margine anteriore truncato, clypeo minimo, albo-piloso, vertice plano, thorace abrupte declivi, niger, metallice micans, tote, inprimis postice, late albo-limbatus, insuper in declivitate thoracicâ tribus parvis striis albido-pilosis, minus distincte, ornatus. Fronte et lateribus sparsim longe nigro-setosis.

Oculi medii antici magni, contigui, glauci; laterales antici iis plus duplo minores; duo secundae seriei minuti, fere in medio, sed posticis tantillum proximiores, lineâ rectâ inter anticos et posticos; hi lateralibus anticis paulo majores et longe a sese remoti.

Sternum ovatum, fuscescens.

Mandibulae directae, conicae, parvae, sed sat crassae, rubrofuscae, ad basin albo-pilosae, ungui rubrâ minutâ.

Maxillae latiores ad apicem, rufae, labio multo longiores; hoc parvo, ad speciem triquetro, nigricante.

Palpi mediocres, sat robusti, albescentes, ad apicem partis tibialis parvâ apophysi laterali, leviter calcaratâ, nigrâ instructi, bulbo fusco, longiore quam latiore, simplici, galeaeformi, apice breve piloso, subtus spinam semilunarem, recumbentem includente.

Pedes mediocres, hi IV paris ceteris sed paululum longiores, omnium femoribus, inprimis paris I et II, incrassatis, e flavo rufis, cum tibiis, supra et ad latera, nigro-infuscatis, sat pilosi et praesertim pare III et IV longe et fortiter aculeati.

Abdomen cephalothorace minus, tam latitudine quam longitudine, anguste ovatum, apice acuminatum, griseo-fuscum et (in exemplari siccato) luteo pilosum, picturae incertae (partim abrasae), ad basin,

in medio dorsi et ad mamillarum latera, nigro-tinctae. Ventre luteo, in medio, late obscurius infuscato.

Mamillae luteae, mediocres, longitudine fere aequales, parallelae, cylindratae, superiores tenuiores.

Bonaire (Fontein).

N.B. Strenue perscrutanti praecipuos, qui de Attoïdeis Americanis scripserunt auctores, Keyserling, Peckham et alios, — inter quos Taczanowsky pro 54 speciebus, plurime novis, notandus, — mihi non contigit, hanc araneolam dignoscere. Idcirco novam speciem proponere coactus fui, quamvis haec fere nullo charactere proprio gaudeat, sat specifico ad illam denominandam aliter, quam secundum insulam, quâ capta fuit.

Ut abunde patet, haecce nostri collegae Collectio aranearum exoticarum, etsi parva, nihilominus pretiosa dici meretur. Ei proverbium « non multa sed multum » summo jure applicari potest.

Inter 20 sua specimina non minus quam 7 proveniunt, inter alia, magni pro araneologiâ momenti, scilicet: 2 *Storenae* rarae (quarum 1 nova), — 2 *Pholcoïdae* perrarae, — 1 *Selenops* parum cognitus, — 1 *Attus* verosimiliter speciei novae, — et, « last not least », 1 *Nops*, ad omnium rarissimas ducenda!

Peregrinatori transmarino Hollandico, pro suo labore, tam improbo quam fertili, et hac occasione nostrae gratiae offeruntur.